themata complectimur. *D.* Ad orationem aliorum intelligendam, & ad noſtram rectè formandã, quid præcipuè requiritur? *P.* Orationem in ſapientium & eloquentium autorum ſcriptis, ſacris & prophanis, rectè intelligere docent, Artes dicendi, Grammaticæ in primis linguæ Latinæ & Græcæ & Ebreæ. Quarum LINGVARVM monumentis cum præcipuæ artes & hiſtoriæ contineantur, COGNITIO earum velut Ianua & CLAVIS eſt, qua ad Doctrinarum ſcientiam aditus aperitur. Ad noſtram verò orationem rectè formandam, præter dicendi artes, Natura idonea, & ſcriptorum eloquentium lectio, atque imitatio, & dicendi ac ſcribendi excercitatio aſſidua inprimis neceſſaria eſt. *Diſcipulus.* Cum autem dicendi artium præcepta non finis ſtudiorum noſtrorum ſint, ſed inſtrumenta tantummodo, quibus in ſummis illis artibus, quæ ſapientiæ & eloquentiæ fontes continent & vitam humanam gubernant ac tuentur, nobis opus eſt, ut te aliquando inter docendum diſſerere memini; ex te ſcire cupio, quantum temporis artibus iſtis tribuendum ſit? *Præceptor.* Rectè me mones, adoleſcens. Non enim tota ætas in Dialecticæ & Rhetoricæ inſtrumento comparando aſſumi debet: ſed cognitis præceptis ad rectè de rebus judicandum & dicendum neceſſarijs (quæ ſi fidelis monſtrator ſtudioſo adoleſcenti contingat, intra unum annum percipi & cognoſci facilè poſſunt) ſtatim ad ſummas artium, quæ rerum doctrinam continent, progrediendum, & Exercitatio præceptorum adjungenda, eſt. *Diſcipulus.* Ergo ut in cæteris artibus mechanicis, ita in ſtudijs doctrinarum, judicas artifices, qui faciat, ſolum uſum eſſe? *Præceptor.* Maximè, præſertim

Grammatica.

Ad orationem rectè formandam quæ neceſſaria ſint.

Quantum temporis diſcendis artibus dicendi tribuendũ.

Vſus & exercitatio neceſſaria.

ἄλλως ἐὰν φύσει ὐκ ἄμυσ☉, ϗ διδάσκ☉ χρήσιμ☉, ϗ κυβερνήτης πρὸς, ϗ τῆς ἀσκήσεως ἔμπειρος ἀφ☉ρμήν. M. τῦ δ' ὄντι τὰ γεγραμμένα ἀπειδῆς τέλως ἀπολωδέντος, ὃ μὲ δ' σοφὸν ϗ ἀλλόγιμον εὐσέβειαν εἶ) ἔλεξας, τί πρὸς τύτοις πιστέον; Δ. πρῶτον μὲ χρὴ τάξιν νόμιμον, ἵν' καθηγήτης πρὸς ϗ τ' ἐμπειρίας τετυχηκὼς δείξει, δεῖ τὰς τέχνας τὰς τῦ βίῳ χρησίμως, μανθάνειν, ϗ ὡς διὰ κλίμακ☉, ἀπὸ τ' κάτω ὁπὶ τὰς ἄνω μεταβαίνειν. M. ἴσως οἱ πάλαι σοφοὶ τύτε ἔνεκα τῦ πίνακας ἐν τῇ Σχολαῖς διέταξαν; ϗ αὐτὰς τὰς τέχνας διένειμαν, ἵνα διαλαβὴ ἑκάστ☉ ὥσπερ εἰς τάξεις κοσμίως διηρημένας, ἐφεξῆς ϗ εὐκαίρως μανθάνειν ῥᾷον εἰ νεώτεροι γινωσκῶν. Δ. κομψῶς σὺ μὲ φρονεῖς, ἀδύνατον γὸ χρὴ ξενοφῶντα, πολλὰ τετεχνημένον ἄνδρα, ταῦτα καλῶς ποιεῖν. ϗ σοφὸς παὶ ὁ τῦ Πλάτων☉ νόμ☉, ὃς ἕνα μὲν τὴν πολιτῶν μίαν τέχνην μόνον μανθάνειν, ϗ ἄλλως διδάσκειν κελεύων. ἵν' πνα ἐν τέχνῃ οἱ νεανίσκοι χρὴ τὸ σφέτερον τῦ παιδαγωγῦ μανθάνειν ἀφαιρήσων), ταύτην ἀπαρχῆς ἐξ ἑνὸς βιβλίου μόνον, τῦ μεθοδικῶς δ' τ' τέχνης ἀφεσχὼ εἰς ῥητὸν τόπ☉ ἀεὶ ζομβάλλω, διδάσκ☉ν, μανθάνοντα, μηδὲ ἐν τῷ μεταξῦ χείνω, ἀλλα τῆς αὐτῆς ἐπανθέσεως βιβλία εἰσορᾶν), ἐᾷν αὐτὸ εἰς ἀκριβῆ μνήμην πθῶσι. M. ὅσα πρεῖ τὰς τῶν τεχνῶν ἀφορμὰς ϗ κεφάλαια ἐξ ἑνὸς μόνου βιβλίου, πεπαιδαμμένως γεγραμμένου, μανθάνειν διελέχθης, παῦτα παῦτα πᾶσι ἐπαληθεύω. νυῦ δ' τί ἐν τῶν εὐκτίμων συγγεγραμμάτων αὐτὰ γνώσει ποιητέον ἔτι, ἐξ σε πυθέσθαι ἐπιθυμῶ. Διδάσκαλ☉. ἐν τῷ τὰ συγγεγραμμένα χρηστῶς αὐταγνῶναι (ὡς πρεῖ τῆς ἀρχαίας ἀκροάσεως, ϗ τῆς οἰκείας ἐπαιδηψεως, ἧς ὐδαμῶς ἀμελητέον, ὐκ εἰπεῖν) μέγα συμβέρει, κοινὸς τόπους διὰ τάξεως διανενεμημένους ἔχειν, πρὸς ὃς ἅπαντα, τὰ ἐν

ῥητῇ τάξει τὰς τέχνας μανθάνειν δεῖ.

οἱ πάλαι ἐν σχολαῖς διὰ τί διετάξαμεθοι.

ἐξ ἑνὸς μόνου βιβλίου τὰ τῆς τεχνῶν κεφάλαια μανθητέον.

προσήκει σωτάπειν κοινοὺς τόπους φιλοσοφικοὺς.

ſertim ſi natura idonea, ſi Magiſter boni judicij, ſeu gubernator exercitationis uſu peritus & fidelis accedat. *Diſcipulus.* Conſtituto igitur fine ſtudiorum, quem ſapientem, & eloquentem pietatem eſſe dixiſti, quid porrò agendum eſt? *Præceptor.* Primùm ordine certo, quem fidus & uſu peritus præceptor monſtrabit, artes vitæ neceſſariæ diſcendæ, & velut per gradus ſcalarum ab inferioribus ad ſuperiores tranſeundum eſt. *Diſcipulus.* Fortaſſe eo conſilio ſapiens antiquitas gradus in Scholis inſtituit, & artes ipſas diſtinxit, ut videlicet ſingulas velut in claſſes ſuo loco diſtributas, ordine & tempore conveniente, faciliùs & rectiùs percipere juvenilis ætas poſſit. *Præceptor.* Rectè ſentis. Nam impoſſibile eſt, ut quis multa ſimul faciat, & eadem rectè, ut veriſſimè Xenophon dixit. Et ſapientiſſima lex eſt Platonis, quæ unumquemque civem, unam tantunmodò artem diſcere & profiteri jubet. Quare quamcunque artem adoleſcentes de conſilio Præceptoris diſcere inſtituent: eam initio ex Vnico tantùm Libello, qui erudita methodo ſummam artis in locos certos diſtributam explicet, cognoſcant: nec alios interea ejuſdem argumenti libellos in manus ſumant, priuſquam illum edidicerint. *Diſcipulus.* Quæ de ſummis artium, ex unico tantùm libello methodicè conſcripto, diſcendis aſſeruiſti, illa mihi omnia probantur: Nunc porrò quid mihi in lectione bonorum Autorum præcipuè agendum ſit, ex te audire cupio. *Præceptor.* In lectione Autorum (ut de diligenti auſcultatione & privata repetitione, quæ nullo modo negligenda eſt, nihil dicam) utiliſſimum eſt, Locos Communes, certo ordine diſtributos habere, ad quos omnia quæ

Ordine certo artes diſcendæ ſunt.

Gradus in ſcholis cur inſtituti ſint.

Ex unico tantùm libello ſumma artium diſcenda.

Inſtituendi Loci communes Philoſophici.

ἐν τῇ συγγραφέων ἀναγνώσῃ τῷ ἀναθῷ ἐφέροντα
καὶ ἀξιομνημόνευτα ἅπαντα, δεῖ φράσμενεῖν, καὶ ὥσπερ εἰς ῥητὴν τάξιν διανέμειν. M. ἀλλὰ ταύτην φράσινόσῃ σε δεῖ τοὺς ἀθροίσαι κοινοὺς τόπους ἐν βιβλίῳ, τὸ τοῦ Πλάτωνος ἐν φαίδρῳ ἐναπῶδαι δοκεῖ, φάλλον ὅπου τὰ γράμματα λήθην καὶ ῥᾳθυμίαν μᾶλλον, ἢ μνήμην καὶ διδαχὴν ἐν τῇ μαθόντων ψυχαῖς παρέχει. ἐμέμνημαι καὶ σε ταύτην τὴν γνώμην πολλάκις διὰ στόματος ἔχοντα· τοσοῦτον ἕκαστος εἰδέναι οἰέσθω, ὃ καὶ ὅσον ἐν τοῖς βιβλίοις γεγραμμένον φυλάττει, ἀλλ' ὅσον ἐφ' εἰς ἀκριβῆ μνήμην ἔθηκε, καὶ ὅταν τὸ πρᾶγμα καὶ χρῆσις ἀπαιτεῖ, παρέχειν ἔχει. Δ. ταῦτα μέν, ὡς λέγεις, ἅπως ἔχει, ἀλλ' ὅμως ὅ σοι ἀποκρίνομαι, ἔχων συγχωρῶ. Καίτοι ὅσα μὲ ἔμαθες μεμνῆσθαι καὶ εἰδέναι ἐθέλει, οὐκ εἰς τὰ χαρτία, ἀλλ' εἰς τὴν ψυχὴν ἐγγεγράφθαι δεῖ, ὅμως ἔστι οἱ μέντοι καὶ θησαυροὶ τῶν κοινῶν τόπων, πρὸς τὸ μνημονεύειν ὅσα προήκοντα ἀνέγνωμεν, ἢ ἐμάθομεν, μέγα ὀφελοῦσι καὶ ὡς εὐπορώτατον ταμεῖόν ἐστιν, ἐξ οὗ πρόχειρα βέλτιστα πράγματα, καὶ γνώμας, καὶ ὁμοιότητας, καὶ ἱστορίας, καὶ τὰ ἄλλα τὰ τοιαῦτα, ὅστε δεῖ πρὸς λόγους ποιεῖσθαι ἢ γράφειν δεῖ, προχειρίζεσθαι φιλομαθεῖς τῶν νεανίσκων ἁπάντων. M. δεῖ δ' μνήμης ἔν, ἣν Πλάταρχος παιδείας ταμεῖον ὀνομάζει, τί εἶναι προσήκει; Δ. Ἄριστος φύλαξ καὶ θησαυρὸς παιδείας ἡ μνήμη ἐστίν. ἐν ᾗ τὸ ὅπλισμα τοῦτο καὶ τὸ συνεχῶς τοῦ ἐμμανθάνειν πόνῳ αὐτὸ σπείσαι, ἐνίους ἡμέρας οἱ δεῖ φιλοσοφίαν ὄντες ῥητὸν χρόνον διατρίβειν ὀφείλουσι. M. δεῖ ἡ τῆς τοῦ μνημονεύειν τέχνης, δεῖ ἧς Σιμωνίδην τὸ Χῖον, καὶ ὕστερον ἄλλους πολλοὺς φράγματα φιλοσοφῆσαι ἀκούω, τί λέγεις; Δ. εἶναι ὁμολογεῖται τὸ μνήμην βοηθῆσαι τῷ λαλοῦντι, καὶ τῷ σώματος εὐεξίᾳ, καὶ τόνῳ ἀφόρῳ, καὶ χρόνῳ εὐδίνῳ, καὶ σημείοις ῥητοῖς· ὅμως βέλτιστα καὶ ἀκριβέστατα τῆς μνήμης

ἡ μνήμη φύλαξ τῆς παιδείας.

ἡ τοῦ μνημονεύειν τέχνη.

in lectione Autorum insignia & cognitione digna occurrunt, annotentur : & velut in classes certas digerantur. *D.* Sed huic admonitioni de colligendis in certum librum Locis communibus, dictum Platonis in Phædro refragari videtur, quod monet, literas & scripta oblivioni & desidiæ magis occasionem, quàm memoriæ & doctrinæ præsidium adferre. Memini etiam te crebris usurpare sermonibus hanc sententiam: Tantum unusquisque se scire existimet, non quantum in libris scriptum adservat: sed quantum memoria fideliter tenet, & ubi res ac usus postulat, promptum habet. *Præceptor.* Vera quidem sunt, quæ dicis: sed tamen habeo, quod respondeam. Etsi illa quæ quis meminisse & scire cupit, non chartis, sed animo inscribere debet: tamen hi indices & thesauri locorum ad recordationem eorum, quæ antea legimus, aut didicimus, plurimum prosunt, & velut instructum penu sunt, ex quo copiam optimarum rerum, sententiarum, similitudinum, historiarum, & hujus generis alia cum de re aliqua dicendum aut scribendum est, depromere studiosi adolescentes possunt. *Discipulus.* Quid igitur de memoria, quam eruditionis promptuarium Plutarchus nominat, sciendum est? *Præceptor.* Præcipuus custos, & thesaurus eruditionis est Memoria, cui excolendæ, & assiduo ediscendi labore formandæ, singulis diebus certum tempus tribuere singuli studiosi debebunt. *Discipulus.* De arte autem memoriæ, de qua Simonidem Chium, & postea alios nonnullos certa quædam præcepta tradidisse audio, quid dicis? *Præceptor.* Etsi juvari memoriam diætâ, & bona valetudine, & loco silenti, & tempore matutino, & notis certis, constat: tamen ars

Memoria custos eruditionis.

Ars memoriæ.

ἡ βελτίστη καὶ ἀκριβεστάτη μνήμης τέχνη.

μνήμης τέχνη ὄστι, τὸ πολλὰ καθ' ἡμέραν ἐπιμανθάνειν, καὶ ταῦτα συνεχῶς ἐξ ἀρχῆς ἀναλαβεῖν, καὶ ἅμα χρῆσθαι θεοῖς ἐπὶ βίον. ἐὰν γὰρ τὰ μνήμης ἀμφῶσιν εἰ μαθόντες, καὶ ἀρχαῖα, ἢ σχολῇ, ἢ ῥᾳδιμία, ἢ σχυρῶς αὐτῷ ἐνιδρύσωσιν, ὐχ ἥπτον κενὸς καὶ μάταιος ὁ τῶν μαθεῖν πόνος ἔσται, ἢ ἐὰν εἰς ὕδωρ γράφωσιν, ἢ εἰς ψάμμον σπείρωσι. διόπερ ἓν τῶν πρώτων καὶ παύ ἀναγκαίων μερῶν τῶν σοφῶν τὰ γράμματα συνιδεῖν ἔφη νόμιζε, τῷ τῆς μνήμης ζωνεχῆ καὶ συχνὴν ἄσκησιν, καὶ τὸν τῶν πολλὰ ἐπιμανθάνειν πόνον. καὶ ὃ τῷ τῆς μνήμης ἐργασίαν, ἵν' μάλιστα τῆς ζωνέσεως φύλακα ἔφη ἐφῶ, πολὺ πρῶτον καὶ παντάπασιν ἀναγκαῖον τῆς ἀληθινῆς παιδείας ὄργανόν ὄστιν, ἡ ἀναγνῶσις καὶ συνεχὴς τῶν γράφειν ἄσκησις, θεοῖς μίμησιν καὶ ἰδέαν τῆς σοφῆς, καὶ φανερῶς, καὶ ὑπαινίττεσθαι λεγόντων, διαπεπιστευμένων. ὥσπερ ὖν ὁ Ἀπελλῆς, ὁσάκις ἄδεν τῆς ἑωυτοῦ τέχνης ἐξεπονάσατο, ὡς τῷ τῆς ἡμέρας ἀποβολὴν πενθῶν, λέγειν εἰώθει, σήμερον ἀδεμίαν γραμμὴν ἤγαγον· ὕτως οἱ ἀναγνῶσι τῆς νεωτέρων ἀδεμίαν ἡμέραν ἐάσωσι παρελθεῖν, ἐν ᾗ ὐκ ὀπτολμῶ, ἢ λόγων μέρος, ἢ ὠδάς τινας συνθέσθαι. πρὸς ταύτῃ τῷ γραφικῷ ἄσκησιν ἐὰν τὰ ἀφελιμώτατα τῶν θρασκάντα τε καὶ σπείρα τῷ παιδείαν ὄργανα, ἤγουν αἱ ἐπαναλήψεις καὶ ἐξετάσεις, ἔτι ἢ αἱ διηγέσεις καὶ μελέται ὁλαστικαὶ προσεπέλθωσιν, ὐκ ἔστιν ὅπως ἂ (τῶν Θεῶν τὸ πόνον ἡμῖν ἐυλογοῦντες) ἢ σωτείρας, καὶ ἢ τῶν λέγειν καὶ γράφειν δυνάμις, ἵν' ἐν ἀρχῇ τῶν λόγων τῶν ἡμετέρων τέλος τὸ ἔργον ἡμῖν ἔχῃ) ἐλέξομεν, ἀκολουθήσει.

Ἡ τῶν γράφειν ἄσκησις ἀναγνῶσις καὶ συνεχὴς ἀναγκαία.

Ἐπαναλήψεις, ἐξετάσεις, διαλήξεις, μελέτας, ἐ δεῖ ὠφορᾶν.

φιλομαθὴς ὁλαστικός, τίς.

Ἐκ πάντων ἢ τῶν εἰρημένων ῥᾳδίως καταμαθεῖν ὄστιν, ὅτι ὁ φιλομαθὴς ὁλαστικός ὄστιν, ὅστις ἀλόγως καὶ ἀτύκτως πιεῖ τὰ γράμματα συνιδάζει, καὶ καθ' ἡμέραν πάσας ἐν Σχολῇ ἀναγνώσεις ἀκριβῶς ἀκροᾶται, καὶ πάντα τῶν καθηγητῶν ῥήματα συῤῥάπτει, καὶ ῥαψῳδίας πολλὰς

memoriæ omnium optima & certiſſima eſt, multa aſſiduè ediſcere, & mandata memoriæ ſæpè repetere, ac ad uſum transferre. Si enim memoriam negligent diſcentes, & otio, deſidia, torpore aut delitijs enervari ſinent, non minùs inanis & ſupervacaneus diſcendi labor erit, quàm ſi in aqua interea ſcriberent, aut arenæ ſemina mandarent. Quare unũ ex præcipuis & maximè neceſſarijs ſtudiorum partibus eſſe ſtatuas, frequentẽ & aſſiduam memoriæ exercitationem, & multa ediſcendi laborem. Poſt culturam memoriæ, quam dixi potiſſimum rerum cognitionis ſeu ſapientiæ cuſtodẽ eſſe, præcipuum & maximè neceſſarium veræ & ſolidæ eruditionis inſtrumentum, eſt ſtili exercitatio diligens & aſſidua, ad imitationem ac formam eorum, qui prudenter & perſpicuè & eleganter locuti ſunt, directa. Vt igitur Apelles, quoties nullum ſuæ artis opus feciſſet, velut deplorans jacturam diei, dicere ſolebat: Nullam hodie lineam duxi: Ita ſtudioſi adoleſcentes nullam diem elabi ſinant, in qua non vel epiſtolam, vel orationis partem, vel verſus aliquot connectant. Ad hanc ſtili exercitationem ſi utiliſſima parandæ & confirmandæ doctrinæ inſtrumenta, videlicet repetitiones & examina, item, diſputationes & declamationes ſcholaſticæ acceſſerint, non dubium eſt, quin Deo fortunante labores noſtros, rectè judicandi, & dicendi ac ſcribendi facultas, quam initio hujus ſermonis noſtri, finem ſtudiorum noſtrorum eſſe diximus, ſecutura ſit.

Quenam omnium optima & certiſſima ſit.

Stili exercitatio diligens & aſſidua neceſſaria.

Repetitiones, Examina, Diſputationes, non ſunt negligenda.

Ex omnibus autem, quæ dicta ſunt, facilè vides, quòd diligens Scholaſticus non ſit, qui in ſtudijs ſine certa ratione & ordine vagatur, qui omnes in ſchola lectiones quotidie ſine judicio audit, omnia dictata excipit, & rapſodias prolixas

Diligens Scholaſticus quis ſit.

πολλὰς σελίδας ἀναγινώσκῃ καὶ διὰ πολλῶν συγγραφέων πλανᾶσθαι· ἀλλ' ὅς τὸ σκοπὸν τὸ τέλος καὶ τὸν σκοπὸν, εἰς ὃν δεῖ τὰ γράμματα ἀποβλέπειν δεῖ, σωστῶς θεωρᾷ, εἶτα ἢ τὰ μέσα τὸ ὀλιγοχρόνιον τούτου τοῦ τέλους ἀναγκαῖα ἀναγκάζοντος θεωρεῖσθαι, μὴ παῦται δὲ, ἐν τῷ παῦται φιλοσοφεῖν καὶ φυλάττειν ἐνδύμησιν, καὶ ἀποβλέπῃ, καὶ μελέτῃ, καὶ σωτηρίαν, καὶ πόνον ἀναμένει. ἀλλ' ἐξαρκέντως νῦν εἴρηται δεῖ τούτων. Ἐγὼ μὲν, ὅσα τ' ὀρθῶς μανθάνειν καὶ εὐδύνειν τ' δεῖ τὰ γράμματα ἀποβλέπειν, ἅμα μὲ παρὰ ἀνδρῶν τ' παιδείας ἀληθῶς τετυχηκότων, φιλοθέντα μέμνημαι, ἅμα δὲ ἰδίᾳ ἐμπειρίᾳ καὶ σωνεχεῖ τῷ μαθεῖν χρήσῃ γνωθέντα ἔσχηκα, τούτων σοι ἀσμένως καὶ πιστῶς μετέδωκα. τῷ δ' Θεῷ εὔχομαι, ταῦτά σε τὰ μέσα ἀφελῆσαι ποιεῖν. Μ. Ὅσα σύ, ὦ διδάσκαλε χρήσῃ, δεῖ μὲ τῆς τέλους τῆς ἐν τοῖς γράμμασι ἀποβλῆς, καὶ δεῖ τῆς τῶ μανθάνειν τάξεως, καὶ δεῖ τῶ τὰ κεφάλαια τῆ τεχνῶν ἐξ ἑνὸς βιβλίου, μεθοδικῶς γεγραμμένου, μαθεῖν, καὶ τῶ κοινῶς τότως συλλέγῃ, καὶ περὶ τῶ τ' μνήμην ἀσκῆσαι, καὶ περὶ τ' ἀσκήσεως γεωφικῆς, καὶ περὶ τ' ἐπαναλήψεων, καὶ ἐξετάσεων, ἔτ' δ' δεῖς τότους περὶ τ' διαλέξεων καὶ μελετῆ θολαστικῶν, συνεχόντως, καὶ εὐχαμόνως διελέχθης· ταῦτα ὕτως ἡδέως ἀκήκοα, ὥστε ἐλπίσω ἐμεῖνα μὴ μόνον ἐμοὶ, ἀλλὰ καὶ πλείστοις ἄλλοις οἷς τότων μεταδῶναι μέλλω, μάλιστα σωοίσειν. ὑπισάμην δ' ὅτι διδασκάλοις τοῖς τ' σοφίας ἀνηθίνῆς κοινωνήσασι, ἰσοβρόπως τιμὴ καὶ μισθὸς ἐκ ἂν γένοιτο, τ' Θεὸν τ' παντὸς ἀγαθῶ καὶ παιδείας σωτηρίᾳ ἄπλον ὄντα, ὡς δυνάμει μάλιστα ἱκανῶσαι, σοι ἀξίαν χάριν, ὧν εὐπόνησα ὑποσχεῖν, ἀποδῶναι, καὶ τοῦ πόνου ἡμῖν εὐδώσειν, καὶ βοηθεῖν, καὶ πείσας ἡμᾶς διδάσκειν τε καὶ τῇ Ἐκκλησίᾳ αὖτον καὶ ἡμῖν αὐτοῖς σωτηρία μανθάνομεν καὶ διδάσκωμεν. Ἀμήν.

ΤΕΛΟΣ ΤΩΝ ΔΙΑΛΟΓΩΝ.

prolixas coacervat, vel quotidie magnum numerum paginarum perlegit, & per multos ac varios autores graſſatur. Sed qui primum finẽ & metã, ad quam dirigenda ſint ſtudia, prudenter proſpicit: Deinde media, ad finem illum aſſequendum neceſſaria, rectè eligit; Poſtea in Medijs illis parandis & tuendis præſtat intentionem animi, curam, vigilantiam, aſſiduitatem & laborem. Sed de his quidem hactenus. Ego quæ de ratione diſcendi & ſtudijs rectè inſtituendis, partim à doctiſſimis viris tradita eſſe niemini, partim propria experientia, & aſſiduo uſu diſcendi cognita habui, ea tibi libenter & fideliter impertivi, quæ ut tibi magno uſui ſint, Deum toto pectore precor. *D.* Quæ tu, præſtantiſſime præceptor, de fine ſtudiorum noſtrorum, de ordine certo diſcendi, de ſummis artium ex uno aliquo libello methodicè ſcripto diſcendis: de colligendis Locis communibus: de excolenda memoria: de exercitatione Stili: de repetitionibus & examinibus: item de Diſputationibus & Declamationibus Scholaſticis, prudenter & graviter diſſeruiſti, hæc tanta cum voluptate audivi, ut ſperem illa non ſolùm mihi, ſed & pluribus alijs, cum quibus ipſa communicare decrevi, utiliſſima fore. Cùm autem ſciam, Præceptoribus, qui veram ſapientiam nobis impertiunt, parem honorem & pretium à nobis referri non poſſe, Deum fontem omnis boni & doctrinæ ſalutaris toto pectore oro, ut tibi pro tuis in me ampliſſimis beneficijs cumulatè gratiam rependat, & labores noſtros gubernet & adjuvet, & nos omnes doceat & regat, ut Chriſto grata, & Eccleſiæ ipſius, ac nobis ſalutaria diſcamus & doceamus. *Amen.*

FINIS COLLOQVIORVM.

IN ORATIONEM CLARISSIMI VIRI, D. IOHANNIS POSSELII, EPIGRAMMA.

Maxima pars hominum non cernit quomodo vivat;
Cùm vixit, primùm vivere discit homo.
Maxima pars juvenum non cernit quomodo discat:
Discere discit, ubi se didicisse negat.
Lex divina piæ nobis sit regula vitæ,
Regula discendi ritè sit ordo bonus.
Hæc quam perspicuis pingens Oratio signis
Auro est digna, Cedro digna, probanda Scholis.

Iohannes Frederus D.

DE RATIONE DISCENDÆ AC docendæ linguæ Latinæ & Græcæ,

ORATIO

Iohannis Posselij.

CVM multa sapienter à majoribus nostris inventa atque instituta sunt, tum nihil præclarius, quàm quod in publicis hisce congressibus, non solùm idoneis hominibus, honesta vitæ ac eruditionis testimonia tribui, sed etiam de rebus bonis orationes haberi voluerunt, quibus auditis, juvenes partim de suscipienda & ingrediendâ studiorum ratione, rectè erudirentur; partim

ad

ad amorem literarum & virtutis excitarentur, partim ſponte currentes exacuerentur. Non enim ad oſtentationem eloquentiæ aut doctrinæ orationes noſtras recitamus. Sed ut imperator bonus & induſtrius inſtructa acie, tyronibus certa quædam pugnandi præcepta dat, perterritos à timore deducit, & paratos ac fortes milites ad ſtrenuè pugnandum hortatur: Ita nos in hiſce conventibus & imperitiores docere, & languentes excitare, & paratos ac pleno gradu ingreſſos, ad verum decus inflammare ſolemus. Hi fines cùm nobis in dicendo propoſiti ſint, non dubium eſt, quin omnes ſapientes viri, cùm multos alios veteres & honeſtos mores, tum hos ſcholaſticos gradus & ſpectacula Promotionum, in quibus de ejuſmodi bonis rebus diſſerimus, magnificiant, colant, & omnibus modis ornanda ac conſervanda eſſe putent.

Locus docilitatis.

Cùm autem mihi hoc tempore officij ratio dicendi neceſſitatem imponat, & Encomia hominum præſtantium, ac rerum, omnium conſenſione laudatarum, Item προτρεπτικοὺς & adhortationes utiles ab alijs, qui eloquentia valent, ſæpe hîc recitatæ ſint, breviter indicare decrevi, qua ratione Lingua Latina & Græca commodè diſcenda & docenda ſit. Hoc argumentum, etſi oratorem plenum atque perfectum requirit: tamen cùm non tam verba & actio dicentis, quàm res, quæ dicuntur ſpectandæ ſint, dicam de hac materia illa, quæ partim ipſe longo uſu, partim aliorum prudentium hominum judicio ac teſtimonio edoctus, vera eſſe, & cum re ipſa congruere, judicabo. Ac à vobis clariſſimi viri, & ſtudioſi juvenes, amanter peto, ut me, quod veſtra

ſponte

ſponte facitis, benignè attentéque auſdiatis. Perficiam enim, Deo juvante, ut me de re tam utili, & neceſſaria, non omninò ineptè aut perperam dixiſſe fateamini.

Primùm autem mihi videtur de tempore, quo pueri in ſcholas Latinas ducendi, & qui labores ipſis imponendi ſint. Deinde de exercitijs ſcribendi, & ratione emendandi ſcripta. Poſtea quando Græca proponi, & quo ordine & modo illa tradi debeant. Poſtremò de exercitijs Græcis eſſe dicendum. *Partitio propoſitionis in quatuor membra.*

Pueri literis adhibendi ſunt anno ætatis ſexto vel ſeptimo, ſi omnino fieri poteſt. Tunc enim ingenia, non planè ſtupida & tarda, ad percipiendam doctrinam idonea ſunt. Et ſimul ac Latina legere noverunt, proponendæ ſunt illis octo partes Orationis ex puerili aliquo libello compendiosè ſcripto, & aſſuefiant ad ediſcenda paradigmata Declinationum & Conjugationum, & Vocabula Rerum ex compendio Hadriani Iunij, aut ſimili libello, cujus Germanica verſio cum puerorum idiomate congruat. Quorſum enim attinet, pueros, pſittaci more verba non intellecta reddere, & eos inutili labore onerare? His addatur Cato, & ſimilia dicta ſententioſa, ex proverbijs Salomonis & Syracide, propriè & Latinè redditis (hi duo enim Autores, omnes Gnomologos ſcriptores & rerum bonitate, & figurarum venuſtate longè ſuperant) quæ pueris propriè & perſpicuè explicentur, & in cujus repetitione ſingulæ voces examinentur, ut & partes Orationis probè noviſſe, & exactè Nomina & Verba inflectere pueri diſcant. 1. *Membrū.*

In

In his cùm annum unum aut alterum exercitati ſunt, proponenda eſt illis Grammatica Latina, breviter & nervosè ſummam artis continens, quæ aſſiduè tractanda, inculcanda, & exemplis ex probatis autoribus deſumptis, illuſtranda eſt. Neque in his præceptis nimis diu magiſter immorabitur, ut & quidem aliquando fit, & ego memini, in quadam Schola, integro quinquennio Grammaticam ad finem perductam eſſe, cùm induſtrius præceptor ſex menſium ſpacio eam facilè abſolvere poſſit. Neque propter aliquos hebetes & ſtupidos, alij bonæ indolis pueri negligendi ſunt. Sæpè enim magiſtri una & eadem operâ, multis, ijſque diverſi progreſſus diſcipulis, inſervire volentes, alios, bono ingenio præditos, remorantur & impediunt. His igitur qui jam ſuperiorem claſſem aſcenderunt, Epiſtolæ Ciceronis, & ſimilia ſcripta, proponenda ſunt.

Refutatio opinionis quorundam.

Vt autem pueri non nimis diu in diſcendis præceptis Grammatices detinendi ſunt: Sic damnanda & explodenda eſt illorum ſententia, qui liberalia ingenia labore ediſcendi præcepta, non oneranda, ſed Linguam Latinam lectione bonorum autorum tantùm diſcendam eſſe dicunt. Etſi enim præcepta & regulæ Grammaticæ ad rectè loquendum & ſcribendum non ſufficiunt: tamen propter maximas & neceſſarias cauſſas, diligenter, & accuratè diſci debent.

Grammatica præcepta accuratè diſcenda ſunt.

Quid ſecundæ claſſis pueris in explicatione autorũ præcipuè indicandum ſit.

Et quia his pueris, quos ſecundæ claſſis auditores nomino, non tàm ſapientiæ ſeu rerum, quàm orationis formandæ cauſa, Autores proponuntur, præceptor, ut ſingulari diligentia vim & ſignificationem,

tionem, ac pondera verborum, item similium seu Synonymorum differentias, phrases, compositionem, & similem effingendæ orationis rationem pueris monstret, operam dabit. Quod quò rectiùs & commodiùs fieri possit, ostendat in scriptis Ciceronis, quæ locutiones à materna lingua discedant, quomodo hanc vel illam sententiam germanicè explicaremus, item in quibus vernaculam linguam imitemur, in quibus verò non: ut hac ratione latinitatem à germanismis separare, & purè & eleganter Latinè loqui & scribere, ac Ciceronis scripta inprimis amare pueri discant, memores dicti Quintiliani: Ille sciat se multum profeciſſe, cui Cicero valdè placebit.

Ante omnia autem cavendum est, ne sine discrimine scriptores prælegantur, & pueri varia & multiplici Autorum auditione turbentur. Constat enim pleroſque Autores, non solùm toto orationis genere; sed etiam vocibus & loquendi modis inter se dissimilimos esse. *Non variij autores pueris proponendi.*

Quòd multi boni viri hoc nostro tempore, qui magnum laborem & studium in scientia aliqua præclara & utili posuerunt, priventur tamen vera illa gloria, quòd non literata oratione, ea quæ tenent, vel proferre, vel literis mandare possint, nulla alia causa est, quàm infelicitas primæ ætatis, quæ aptis lectionibus & necessarijs exercitijs, ad linguam Latinam informata non est.

Audio doctissimum virum Iohannem Capnionem interrogatum, cur hoc tempore homines non *Capnionis dictum.*

tam docti essent, quàm temporibus Ciceronis & Quintiliani, respondisse; Illos tunc habuisse paucos libros, eosque bonos, quos diligenter & assiduè legendo sibi familiarissimè cognitos fecissent; nunc autem se obruere homines varietate & copia librorum. Si verè cogitare volumus, non omnino erravit Capnion. Nusquam enim est, qui ubique est. Et qui, quò destinavit, pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur: non ire istud, sed errare est, ut verè & sapienter Seneca dixit. Quare explosa è ludis puerorum præcipuè Autorum multitudine, unum genus sermonis idque optimum proponatur, in quo tantisper detineatur dum omnia purè & Latinè proferre, & autoris vim ac elegantiam loquendo & scribendo utcunque exprimere possint: Et dum ad alios veteres & recentiores Scriptores tutò admittentur, quos non minori cum utilitate quàm judicio, pervolutabunt.

Exercitium Latinè loquendi in Scholis necessarium.

De exercitio Latinè loquendi hîc non dicam. Sciunt enim viri docti & sapientes, id omnino necessarium esse, & sine magno discentium incommodo negligi aut omitti non posse. Qualia autem exercitia pueris proponenda sint, paucis indicabo, si priùs, quibus virtutibus ludimagistri & pædagogi præditi esse debeant, dixero.

Primùm necesse est eos, qui alios utiliter erudire volent, Latinè doctos esse: & vias ac rationes docendi expeditissimas tenere: & humanitate ac facultate delectandi & excitandi pueros valere.

Quomodo

Quomodo enim poteſt alios docere, qui ipſe purè & emendatè loqui nec poteſt, nec id ipſum loquendo & pronunciando præſtare, quod à ſuis diſcipulis requirit?

Deinde, cùm maximam vim habeat ad felicem in ſtudijs progreſſum via & ratio docentis, prudens magiſter omnia dextrè & explicatè proponet, & diſcipulos in illis, quæ propoſita ſunt, utiliter exercebit; id autem, quomodo fieri debeat, ſuo loco clariùs oſtendemus.

Quantum verò Humanitas præceptoris & alacritatis & amoris erga bonas literas adfert, tantum ſævitia & crudelitas teneros & imbecillos animos frangit, & à ſtudijs deterret. Quare meminerint præceptores, ſe erga diſcipulos, ut erga filios, affectos eſſe oportere, nec vel nimia auſteritate, vel plagis, vel diris execrationibus, igniculum à natura datum, extinguere, ſed potiùs comitate paternâ excitare, & inflammare debere.

Neque verò hæc ita accipienda ſunt, quaſi pueri ignavi & contumaces debita pœna coercendi non ſint, aut virgis in Scholis omnino non ſit utendum, ut quidem nonnulli exiſtimant. Nam ut pius & φιλόσοφος pater educat liberos ſuos, non ſolùm per νουθεσίαν ſeu doctrinam, ſed etiam per παιδείαν, hoc eſt, per aſſuefactionem, quotidiana exercitia, exempla, & tempeſtivas caſtigationes (nam hæc quatuor appellatione diſciplinæ continentur;) & memor dicti Salomonis: Pater qui parcit virgæ, odit filium ſuum: pueros petu- *Occupatio.*

lantus ferula cædit, eamque in conſpectu liberorum collocat; ut ſemper incurrens in oculos, eos in diſciplina retineat, & laſciviam coerceat: Ita præceptori, qui parentum vicarius eſt, & eorum partes ſuſtinet, in inſtitutione diſcipulorum iiſdem medijs utendum eſt; quare nec virgæ, nec aliæ opportunæ animadverſiones, ex Scholis tolli aut debent aut poſſunt. Eſt enim metus pœnarum velut ἀγγεῖον τῶν, & cuſtos officij ac diligentiæ diſcipulorum, ſine quo, maximè in hac delira mundi ſenecta, cùm mores juventutis ad nimiam ignaviam & contumaciam incubuerunt, florens illa ætas in officio retineri non poteſt. Sed in omnibus modus ſervandus eſt, & ira removenda, cum qua nihil rectè fieri, nihil conſideratè poteſt.

Virgæ opportunæ caſtigationes, ex Scholis tolli non poſſunt.

2. *Membrum, de exercitijs ſcribendis.*

Sed jam ad id, unde digreſſus ſum, revertar. Primum ſcribendi exercitationis genus eſt, puero illa, quæ in Cicerone obſervanda eſſe audivit, temporibus, perſonis, locis, rebus etiam nonnihil commutatis, Germanicè reddita proponere, quæ ad imitationem Ciceronis in Latinum ſermonem convertant.

Ratio emendandi ſcripta.

Ratio autem emendandi ſcripta omnium optima & ſimpliciſſima eſt, non præceptoris arbitrio, ſed ipſius Ciceronis judicio, pueri compoſitionem emendare, illiuſque epiſtolam vel locum, ex quo ſcribendi argumentum deſumptum eſt, velut exemplar & ſpeculum, in quo videat, quid ſuo labori deſit, ei proponere. Nihil autem perniciosius ſtudijs linguæ Latinæ accidere poteſt, quàm quòd pueri, neglecta omni imitatione, à ſuis magiſtris magis quàm à Cicerone ipſo, & ſimilibus

autoribus bonis, Latinitatem discere coguntur. Accedit eò quòd illa sæpe præceptores pueris vertenda præscribunt, quorum vel appellationes vel loquendi modos, nunquam antea audiverunt: imò quæ ipsi pædagogi, quomodo rectè & propriè reddenda sint, ignorant. Quare ante omnia cavebit Præceptor, ne puerum vel scribere, vel loqui permittat, nisi istis modis & rationibus quas, non à se, sed ab optimis autoribus didicerit. Quòd si tale argumentum propositum est, cujus exemplum integrum in Autore non extat, ut nec semper extare potest, emendator illud ipsum argumentum quod discipuli tractarunt, proprijs verbis & phrasibus præclarè retextum & elaboratum illis proponat, in quo sicut & in Cicerone cernant, quid suo scripto desit, & quantum ab illa forma discrepet.

Secundum exercitij genus.

Deinde ubi aliquandiu in hoc exercitio versati sunt, & in eo aliquid profecerunt, ad majora deducendi sunt, & curandum, ut Ciceronis scripta faciliora, & præcipuè Epistolas ad verbum à Præceptore Germanico sermone redditas, non inspecto exemplari, suo Marte Latinè vertant, quæ ad eundem, quem dixi, modum emendandæ sunt. Quod si assiduè fit, non dubium est, quin facilè pueri ad purè & eleganter scribendum assuescant. Vt enim, cùm in sole ambulamus, etiamsi ob aliam causam ambulemus, tamen coloramur: Sic fieri non potest, quin cùm hoc modo puer exercetur, ejus oratio assiduo illo usu & consuetudine coloretur, & puritatem ac suavitatem quandam Ciceroneanam redoleat.

Tertium exercitij genus eſt, orationem Latinam alijs verbis Latinis, & Ciceroni uſitatis, exprimere. Verùm id exercitium non ad hos pueros, ſed ad perfectiores, & eos magis, qui characterem orationis effingere, quàm qui Latinè tantùm loqui & ſcribere diſcunt, propriè pertinet.

Exercitium Latinè loquendi qua ratione colendum ſit.

Vt autem hæc ſcribendi exercitia diligenter & fideliter colenda ſunt: ſic & Latinè loquendi exercitatio, de qua paulò antè dixi, nequaquam negligi debet. Quod quo rectiùs fieri poſſit, cuſtodes ſeu coricæi conſtituendi ſunt, qui & juniores Teutonicè loquentes, & grandiores vel Germaniſmis vel Solœciſmis, vel denique Barbariſmis utentes, annotent, & ad magiſtrum deferant, à quo juſta pœna afficiantur. Vtrumque enim exercitium, Latinè ſcribendi & loquendi, in Latinis ſcholis vigere debet, nec alterum ab altero ſeparari poteſt. Nam ut prudentis & induſtrij informatoris eſt, illa quæ ſingulari ſtudio, obſervanda, exercenda & imitanda ſunt, puero indicare & proponere: ſic is eadem, non ſolùm ſcriptione, ſed etiam locutione, imitabitur.

3. *Membrũ de ſtudio Græcæ linguæ.*

Dixi de ratione ſervanda in inſtituendis pueris in lingua Latinâ, uſque ad annum ætatis undecimum, aut duodecimum: reſtat nunc, ut de ratione tradendæ & diſcendæ linguæ Græcæ, breviter diſſeram.

Cur pauci mediocrem Græcæ linguæ notitiam conſequantur.

Quòd pauci noſtrûm mediocrem aliquam Græcæ linguæ cognitionem conſequuntur, vel quòd ſtudium ejus nobis perdifficile videtur, nulla alia cauſa

cauſa eſt, quàm quòd aut ſeriùs hoc ſtudium ſuſcipimus; aut ſi ſuſcipimus, frigidè in eo verſamur, nec eo ordine & modo, quo decet, in eo progredimur. Vt autem in omnibus alijs rebus rectè, tempeſtivè & feliciter perficiendis: ſic & in diſcendis literis Græcis, ordo conveniens omninò neceſſarius eſt.

Vocabula Græca.

Quare ubi ab anno ætatis ſexto vel ſeptimo, uſque ad annum undecimum in Latina lingua, ea, qua dixi, ratione pueri exercitati ſunt, (his enim ſex annis, niſi planè tardi & indociles ſunt, linguam Romanam utcunque diſcere poſſunt) Græca vocabula ex Euangelijs, ut vocant, Dominicalibus, ipſis proponantur, quorum quotidie aliquot ediſcant, recitent, & octavo quoque die illa, quæ præterita hebdomade didicerunt, ab initio repetant. Vt enim liberalia ingenia facillimè res bonas arripiunt & addiſcunt: ſic eadem ipſis facilè excidunt, ſi non diligenti & aſſidua repetitione inculcentur. His paradigmata Declinationum & Conjugationum Græcarum addantur, in quibus certis diebus exercendi ſunt.

Euangelia Græca.

In hoc ſtudio cùm annum conſumpſerunt, Euangelia Græca, non inſpecta verſione Latina interpretari jubebuntur. Et quia hujus claſſis auditoribus nunc Grammatica Græca integrè proponitur, non ſolùm in Nominum ac Verborum inflexionibus, ſed etiam in Temporibus Verborum Activæ, Paſſivæ, & Mediæ vocis formandis, ac Regulis Græcæ Syntaxeos præcipuis & maximè neceſſarijs cum uno & altero exemplo ediſcendis, operã ponẽt.

Formanda tempora verborum.

Græca Syntaxis.

Grammatica Græca diligenter discenda.

Diligenter autem & accuratè, ut dixi, hisce pueris Grammatica Græca ediscenda est, quam qui tenet, sciat se maximam partem molestiæ, quæ in discenda hac lingua suscipienda & perferenda est, devorasse.

Qui autores his discipulis proponendi sunt.

Proponi autem quatuordecim, quindecim vel sedecim annorum adolescentulis debent Socratis oratio ad Demonicum & Nicoclem, & illa, quæ Nicocles inscribitur; Plutarchi Pædagogia, faciliores & lepidiores Dialogi Luciani, & Fabulæ Æsopi: ex quibus præter verborum copiam, Phrases & variarum rerum appellationes, magnam sapientiæ partem de gubernandis consilijs, actionibus & moribus, sine ullo tædio tenera ætas discere potest. Et quia varietas delectat, ac voluptatem parit, Græca Poemata, cujusmodi sunt, Aurea Carmina Pythagoræ, Phocylides & postea Hesiodus, ac quidam libri Homeri, lectioni oratorum admiscendi erunt.

3. *Membrum, de exercitijs Græcis.*

His auditoribus, singulis septimanis breve argumentum Latinum proponendum est, quod ad imitationem Isocratis, Demosthenis, & similium Autorum, in Græcum sermonem convertant. Nam ut in Latina lingua optimos quosque Autores & legimus & imitamur: Sic & in Græca idem facere, & nostram orationem ad Græcorum Autorum sermonem effingere debemus. Nec imitandi sunt, qui ex Dictionario, vel Synonymis Græcis, epistolas Græcas, aut versus consarcinare solent.

Debet

Debet etiam hiſce, de quibus dixi, diſcipulis, liber aliquis Epiſtolarum Ciceronis, qui facilior & elegantior videbitur, proponi, quem ordine Græcè vertant, & Præceptori certis horis exhibeant. Hoc enim ſi fecerint, eadem operâ puritatem Latini ſermonis & Græcam linguam addiſcent.

Ratio emendandi Græca ſcripta.

Emendandi autem hæc ſcripta, via expeditiſſima eſt; primùm vitia, ſi quæ ſunt, comiter indicare, & vel ipſum Autorem, ex quo argumentum ſcribendi depromptum eſt, vel præceptoris elaboratam verſionè, quam cum ſua conferant, ipſis ob oculos ponere. Ad hoc utile exercitium, & illud accedere debet, ut certis quibuſdam horis nihil aliud ipſis loqui liceat, niſi Græcè. Vt enim in lingua Latina, ſic & in Græca illa, quæ puer audivit, non ſolùm ſcribendo, ſed etiam loquendo ad uſum transferre docet.

Loquantur Græcè.

Occupatio.

Neque eſt quod quiſquam vereatur, ne pueri difficultate quadam aut obſcuritate, à ſtudio hujus linguæ deterreantur. Nam ut ipſi naturâ peregrinarum linguarum amantes ſunt, eaſque facilè addiſcunt; ſic nulla alia lingua jucundior eſt, nec ſuaviore ſono auribus illabitur, quàm Græca. Quare ut requies ſuave condimentum laboris eſt, ut Græcum dictum, ἡ ἀνάπαυσις τῆς πόνου ἥδυσμα ἐστιν, monet: Ita Græcarum literarum ſtudium reliquis diſcendi laboribus non modò tædium nullum adfert, ſed eos etiam jucundiores reddit, & quadam oblectatione ac voluptate tanquam ſale perſpergit.

Græcæ Linguæ ſuavitas.

Quod

Alia occupatio.

Quod autem de Græcæ linguæ ſtudio ejuſque exercitijs hactenus dixi, non ita intelligendum eſt, quaſi interea Latinæ lectiones prorſus omittendæ aut deponendæ, vel etiam Muſica, Arithmetica, & initia Dialectices & Rhetorices, his grandioribus non unà tradendæ ſint. Debet enim ſimul ac Latinæ linguæ fundamentum jactum eſt, utriuſque linguæ, Latinæ & Græcæ, ſtudium ſimul in ſcholis florere & dominari. Maximè cùm hæc linguarum inter ſe collatio tantas habeat opportunitates, ut utramque hoc modo & citiùs & faciliùs ſimul, quàm alteram ſeparatim pueri diſcere poſſint. Vt enim Latina lingua ſine Græca non intelligitur, ſic ne Græca ſine Latina explicari & tradi poteſt. Cæteræ etiam artes, quarum modò mentio facta eſt, cùm recreationis, tùm utilitatis & neceſſitatis cauſa, ſimul cæteris Latinè & Græcè diſcendi laboribus admiſcendæ ſunt.

Lingua Latina & Græca ſtudium debet in ſcholis florere.

De exercitijs illorum, qui ætate & doctrina provectiores ſunt.

Debent autem illi, qui ætate & eruditione provectiores ſunt, illuſtres autorum locos, inſignes narrationes & hiſtorias, ex Græca lingua in Latinam, & ex Latina in Græcam vertere.

Regula in verſione obſervanda.

Sed meminerint ſtudioſi, in convertendis è Græca lingua in Latinam, & contrà, ſcriptis, non ſemper verbum ex verbo exprimendum eſſe, ſed dandam eſſe operam, ut ſi quid abhorreat à conſuetudine & more ejus ſermonis, in quem aliquid convertetur, id omittatur omninò. Quod à ſe obſervatum in convertendis orationibus adverſarijs Æſchinis & Demoſthenis Cicero affirmat. Sic enim in libro de optimo genere oratorum ſcribit:

Quo-

Quorum ego orationes, ut ſpero, ita expreſſero, virtutibus utens illorum omnibus, id eſt, ſententijs, & earum figuris, & rerum ordine, verba perſequens eatenus, ut ea non abhorreant à more noſtro. Eſt igitur Ciceronis de verbis convertendis ſententia, ea perſequenda eſſe duntaxat, quæ à more illorum, in quorum linguam uſumque convertentur, non abhorrebunt. *Repetit in regula.*

Vt autem ſtudioſi Græcarum literarum optimum exemplar habeant, quod in convertendis conjungendiſque Græcis cum Latinis imitentur, cùm alios ex Apologia, Phædone, Phædro, Libris de Legibus & de Repub. Platonis locos, à Cicerone Latinè redditos, tum librum Ciceronis de Vniverſitate, cum ea parte Timæi Platonis, cui reſpondet, diligenter & attentè inter ſe conjungent, conferent, & cùm primùm aliquid ſcire Græcè cœperint, ad imitandum ſedulò ſibi proponent; quod ſi fecerint, non modò elegans dicendi genus, quod apud Ciceronem perpetuum eſt, diſcent, ſibique comparabunt: ſed etiam Græca faciliùs intelligent, & diſertiùs explicabunt. *Quod exemplum in conſpectu habendum & imitandum ſit.*

Sed fortè objiciet aliquis, & eſſe & fuiſſe nonnullos, qui ſerò admodum, cùm quidem ætate provecti eſſent, primùm literas diſcere cœperint, & tamen illos in utraque lingua præclaros progreſſus feciſſe. Fateor eſſe ingenia quædam eximia atque illuſtria, quæ celeriter, quod docetur, arripiant, & brevi tempore multum proficiant. Sed hoc adjungo, ut horum exempla confirmant dicta, πᾶσιν πάντα πιθανὰ, Amori omnia pervia ſunt: item, *Objectio, & ejus refutatio.*

item, διὰ καρτερίας καὶ φιλοπονίας ἔστιν τῶν ὄντων ἀγαθῶν ἀνέλλοτον πῶυτα. Tolerantiâ & induſtriâ nihil in rerum natura bonorum eſt, quin acquiratur: Item, Labor omnia vincit improbus. Sic nemo illis exemplis ad excuſandam ignaviam ſuam, & negligendam diſcendi occaſionem, abuti debet. Non enim cuivis contingit adire Corinthum. Ac quemadmodum heroica facta ſunt ſupra regulam, & mediocres homines intra metas regulæ manere debent: ita nemo debet temerè talia præſtantium hominum, quibus per fortunam vel alias cauſas, citiùs literas attingere non licuit, exempla imitari, & occaſionem, ſi quæ datur in pueritia diſcendi literas & linguas, negligere; maximè cùm ars ſit longa, vita autem brevis, ut veriſſimè Hippocrates initio ſuorum Aphoriſmorum inquit.

Argumentũ à natura ſumptum.

Quid? quòd natura ipſa ſic hominis vitam diſpertivit, ut prima ætas linguæ, media eloquentiæ, poſtrema uſui & communi utilitati tribueretur: quam ſi tanquam ducem ſapientiſſimum ſequemur, puer ab incunabulis, uſque ad annum decimum quartum aut decimum ſextum, linguis & politioribus literis informandus erit. Ita poterit poſtea ea ſtudia ſuſcipere & tractare, quæ ipſi emolumentum & honorem, Eccleſiæ verò & Reipublicæ utilitatem immenſam pariant. Sed dolendum eſt, hunc ordinem à natura præſcriptum, & omnium ſanorum hominum judicio approbatum, multis modis turbari. Nam vel Præceptores ſive ignorantiâ, ſive ignaviâ, ſæpè juſtum inſtituendi ordinem non ſervant, vel adoleſcentes ſine pennis, ut in proverbio eſt, volare volunt, & neglectis linguis ac humanioribus diſci-

diſciplinis, ad ſuperiores artes, Theologiam, Iurisprudentiam, vel artem Medicam ſe conferunt: vel præpoſtero ordine incedentes, in Linguarum ſtudijs, ſine ſuo & aliorum hominum fructu conſeneſcunt. Quod ne fiat, magiſtri periti & ad docendum idonei, liberalibus ſtipendijs conducendi, & Scholis præficiendi ſunt; ex quibus, qui puro ornatóque ſermone, ſuperiora ſtudia illuſtrare, exornare & propagare poſſint, emittantur: quod, ut ego quidem arbitror, rectè & commodè fieri poterit, ſi implorato Dei auxilio, ſine quo irrita eſt omnis humana induſtria, ordo, qui utcunque à me hac brevi oratione delineatus eſt, in docendo & diſcendo ſervabitur. Hæc habui, quæ de lingua Latina & Græca diſcenda & docenda, hoc tempore dicerem, quæ etſi non omnibus placebunt, ut nec placere debent, vel poſſunt, (Quis enim omnibus ſatisfacere poteſt?) tamen viris doctis, & uſu peritis, ac judicio certo rem ponderantibus omninò probatũ iri confido.

Incommoda ex mala inſtitutione provenientia qua ratione vitari poſſint.

DIXI.